

gratiæ, quot sunt gradus intensionis in actu, sed secundum aliquam proportionem divino arbitrio determinandam; idemque est fere in cæteris omnibus circumstantiis; idem ergo erit in hac circumstantia personæ. Neque obstat replica Medinæ objicientis hoc gratis dici, quia, si quæ rationes probant meritum augeri ex majori gratia personæ, probant æque augeri; vel, si non probant, absolute invalidæ sunt. Verumtamen discursus factus satis ostendit hoc non gratis dici; quin potius illatio illa ab augmento ad magnitudinem augmenti in æquali gradu nullo fundamento nititur, nam et in aliis circumstantiis actus manifeste deficit, et in merito inter homines est evidens conditionem personæ augere meritum operis, licet non augeat usque ad meritum æqualis dignitatis.

8. *Satisfit illationi.* — Ad ultimam vero illationem de gratia, si esset infinita, respondeo imprimis argumentum procedere ab impossibili, et ex impossibili non esse inconveniens sequi aliud impossibile. Deinde vero addimus negari posse sequelam, quia gratia creata non ita auget meritum actus, ut ad æqualem gratiam promerendam valeat. Potest tamen instari, quia si meritum illud esset finitum, fieri consequenter posset ut idem actus, seu in cæteris omnibus æqualis, esset æque meritorius in persona habente gratiam finitam, ac in habente gratiam infinitam. Et ideo ex illa hypothese oportet fateri tale meritum esse aliquo modo infinitum, id est, superans omne augmentum possibile fieri per gratiam finitam, etiamsi in infinitum procedatur. Nihilominus tamen illud augmentum tantum esset secundum quid infinitum, nec esset sufficiens ad merendam hypostaticam unionem, sicut fuit meritum Christi. Et præterea illamet infinitas non esset ex eo quod gratia augeat meritum ad æqualitatem in sensu declarato, sed ex eo quod infinitum excludit omnem proportionem, et ideo, si illud consequens absurdum esse creditur, non sequitur ex eo quod gratia augeat meritum, sed ex eo quod gratia infinita supponitur, quod majus absurdum est. Poterat hic consequenter quæri an aliæ dignitates personæ, quæ non spectant ad gratiam gratum facientem, per se ac cæteris paribus ad augmentum meriti conferant. Quod imprimis quæri potest de dignitate Matris Dei, item de dignitate morali, quæ provenit hominibus ex unione hypostatica, et speciali conjunctione spirituali cum CHRISTO. Sed quia hæc in-

certa sunt, sufficere videntur quæ de dignitate Matris DEI alibi dixi, et quæ de altera dignitate membrorum Christi in capite præcedenti tetigi. De aliis vero prærogativis aut dignitatibus Ecclesiæ, certum existimo non conferre ad substantiale augmentum meriti, nisi quatenus esse possunt circumstantiæ morales operis bonitatem augentes, quia per se non habent aliam proportionem cum substantiali præmio meritorum. Idemque de dignitate status innocentie dicendum est, ut in proprio loco dicam.

## CAPUT XXIII.

UTRUM EX PARTE DEI AUT CHRISTI POTUERIT  
MERITUM BONORUM OPERUM AUGERI?

1. *Resolvitur primo ex parte Dei promittentis obvenire nostris meritis efficaciam ad præmium absolute.* — Ultimum dubium circa hoc augmentum meriti in operibus justorum esse potest circa aliam conditionem, ex parte Dei requisitam ad meritum de condigno, scilicet, promissionem vel ordinationem divinam, an ex ea parte possit meritum operis augeri. Sed resolutio hujus interrogationis ex dictis in c. 17 et 18 nota est, ibi enim distinximus inter proportionem operis cum præmio, et valorem seu efficaciam operis ad exigendum ex justitia præmium. Et hoc secundum diximus compleri in opere, alias proportionato, per promissionem sub conditione talis operis factam. Unde si comparetur opus ex promissione factum cum opere facto sine promissione, sine dubio in illo priori augetur aliquo modo efficacia et proprietas meriti ex promissione. At vero si comparentur opera quibus facta est promissio, in illis non potest in hac parte magis vel minus inveniri ratione promissionis, quia promissio æque certa et infallibilis est in omnibus, et ita æqualem vim præbet unicuique operi respectu sui proportionati præmii. Proportio autem seu dignitas operis meritorii respectu præmii non confertur, nec proprie completur per promissionem, sed potius ad illam supponitur, ut ibi diximus. Et ideo in hac parte non videtur augeri meritum ex divina promissione vel ordinatione, ut ibidem contra antiquos Nominales, et Vegam ac Castrum diximus.

2. *Deinde obvenire efficaciam ad illud majus præmium quam quod ex rigore promitti posset.* — Nihilominus tamen ad majorem

claritatem, distingui potest inter proportionem seu dignitatem operis, quasi aptitudinalem ad meritum, et ipsum actuale meritum. Et quoad primum, verum est non posse valorem operis crescere ex promissione, quia promissio non est circumstantia operis, sed supponit qualitatem et capacitatem ejus, saltem in mente promittentis. Nihilominus tamen quoad actualem relationem et efficaciam ad determinatum præmium, potest opus meritorium augeri ex pacto, per quod ad majus vel minus præmium ordinatum est. Hoc late explicuimus supra exemplo meriti Christi, quod ex se infinitum valorem habuit, et nihilominus de facto finitum tantum præmium meruit, quod sine dubio majus esse potuisset, si Deus ita ordinare ac permittere voluisset. Fuitque id necessarium in illo merito, eo ipso quod infinitum erat, quia nec poterat habere præmium æquale, et, quocumque dato vel promisso, erat majoris capax. At vero quando opus est meriti finiti, potest habere præmium summum, et ita adæquatum, ut, si majus offeratur, sit ultra condignum. Et tunc si ponatur tale præmium esse promissum tali operi, non potest ulterius augeri ex promissione ampliori, quia jam excederet operis capacitatem, et ita quoad illum excessum esset liberalis donatio, non justa retributio. Nihilominus tamen etiam respectu meriti finiti potest intelligi in hoc aliqua varietas ratione promissionis.

3. *Itemque in ipsis nostris meritis.* — Primo quidem respectu præmii quasi connaturalis et proportionati, seu ejusdem ordinis, quia, ut supra dixi, probabile est etiam hoc præmium non esse omnino definitum quasi indivisibiliter ex sola rei natura, sed esse posse aliquantulum majus vel minus intra latitudinem (ut sic dicam) justii pretii, ac proinde posse promissionem Dei conferre, ut quanto intra illam latitudinem est de majori præmio, tanto sit opus majoris actualis meriti. Sicut in mercibus vel stipendiis humanis ex pacto fit ut, propter rem vel opus, majus pretium vel stipendium debeatur intra latitudinem æquitatis. Secundo, posset id accidere in præmiis extrinsecis, si sint inferioris ordinis, et in præmiis accidentalibus gloriæ optime potest intelligi; nam martyr, verbi gratia, nunc meretur de condigno aureolam a Deo designatam et promissam, et pauper spiritu meretur habere sedem in judicio, et tamen si Deus hæc præmia non

promississet, in illis operibus non esset de facto actuale meritum.

4. *Resolvitur quoque ex parte etiam Christi obvenire nostris meritis, ut promissio liberalior supra dicta eis fieret.* — Atque hinc tandem potest intelligi, ex meritis Christi de facto aucta fuisse nostrorum meritorum præmia, ac proinde etiam ipsa merita, prout habitudinem actualem habent ad majora præmia. Nam cum promissio præmiorum propter Christum nobis facta sit, ut supra vidimus, optima et congruentissima ratione credi potest ob eadem Christi merita nobis concessum esse, ut respectu essentialis præmii promissio fuerit liberalissima et maxima, quæ intra capacitatem talium operum a tali gratia Christi procedentium esse poterat, et respectu accidentalium præmiorum esset etiam copiosior et abundantior, quam sine Christo fuisset. His ergo modis potest operum meritum ex omnibus meriti conditionibus augeri.

## CAPUT XXIV.

AN POSSIT ALIQUIS DE CONDIGNO PRIMAM GRATIAM  
VEL REMISSIONEM PECCATI MERERI?

1. *De præmio, quod tertia pars est hujus libri, varia genera distinguuntur.* — Hactenus de merito in se spectato tractavimus, et illud esse, et quid sit, quasque condiciones requirat ut de condigno esse censeatur, ostendimus; nunc de præmio, vel de præmiis, quæ sub tali merito cadere possunt, quod in principio hujus libri tertio loco inquirendum proposuimus, dicendum superest. Omnia vero hæc præmia, vel ad gratiam, vel ad gloriam reducuntur, ut videbimus, et inter illa dona priora sunt dona gratiæ, inter quæ rursus ordo invenitur, nam quædam dona gratiæ priora sunt aliis, omnia vero sub primam et secundam gratiam comprehenduntur, et ideo primum omnium dicendum est de merito primæ gratiæ, postea de reliquis. Ut autem punctum præsentis quæstionis attingamus, supponimus sermonem esse de prima gratia sanctificante, et consequenter de remissione peccati mortalis vel originalis, quod per illam formaliter expellitur. Nam de prima gratia auxiliante non oportet hic quæstionem movere, tum quia in libro tertio late ostensum est, contra Semipelagianos, illam esse donum omnino gratuitum, cui meritum de condigno maxime opponitur;

tum etiam quia infra ostendemus neque sub meritum de congruo cadere posse. Unde a fortiori constabit multo minus sub meritum de condigno cadere posse. Est ergo sermo de prima gratia habituali. Dicitur autem prima, quoties illa infunditur in persona cui datur, etiamsi contingat sæpius infundi, quia sæpius deperditur: semper enim est prima, ita ut ab augmento gratiæ distinguatur, non ab alia gratia, quæ fortasse in aliquo præcedente tempore data fuit.

2. *Prima assertio prævia, personam creatam alteri non mereri.* — Præterea ut certum statuo nullam personam creatam posse hujusmodi gratiam alteri mereri de condigno, etiamsi maxime justa sit. Hoc secundum legem Dei ordinariam certum est, ex alio generali principio supra demonstrato, quod in personis creatis una ex conditionibus ad meritum de condigno requisitis, est ut sibi unusquisque mereatur. Unde non solum de hac gratia, et de ipsa peccati remissione, sed etiam de gratia vocationis, et de qualibet alia est certa hæc suppositio. An vero de potentia absoluta aliud Deus instituere potuerit, in tomo primo tertiæ partis, disput. 4, section. 7, late tractatum est; ubi etiam ostendimus aliud esse de persona increata per naturam hypostatice unitam merente; nam illa propter tantæ personæ dignitatem non solum de condigno ad æqualitatem, sed etiam de toto rigore justitiæ, et cum infinito excessu potest aliis mereri gratiam; atque ita de facto Christum hominibus promeruisse non solum gratiam sanctificantem, sed etiam auxiliantem, a prima usque ad ultimam. Neque solum personis jam gratis, sed etiam peccatoribus, pro eorum culpis plenissime satisfaciendo.

3. *Secunda assertio, etiam prævia.* — Ulterius suppono neminem posse mereri sibi primam gratiam, seu justificationem, per opera subsequenteria justificationem. Ita docet divus Thomas, dicto artic. primo, ad ult., et consentiunt cæteri Theologi. Habetque verum tam de operibus ordine temporis posterioribus, quam de illis quæ ordine naturæ gratiam subsequuntur, vel secundum suum esse absolute, vel ut meritoria de condigno sunt. Ratio prioris partis est, quia sicut nemo sperat quod jam possidet, ita nemo meretur quod jam possidet, sibi que simpliciter donatum est. Deus autem, cui gratiam confert, absolute etiam donat, independentem a futuris ejus operibus, et ideo qui illam prius tempore ha-

bet, non potest illam jam mereri, saltem quoad infusionem et donationem ejus. Alterius vero ratio est, quia principium meriti non potest cadere sub idem meritum, quia non potest idem esse causa et effectus respectus ejusdem in eodem genere causæ. Et ideo non potest primum auxilium gratiæ cadere sub meritum ejusdem actus, qui ab illo procedit, ut contra Semipelagianos in superioribus traditum est, cum Augustino, l. de Prædest. Sanct., capit. undecimo, et libro secundo contra duas epistol. Pelagianor., cap. septimo. Est ergo hoc certum saltem ex natura rei, et ex lege ordinaria. An vero de potentia absoluta aliter ordinari potuerit, nunc non refert, et in materia de Incarnat. disputatum est.

4. *Tertia assertio, prævia etiam.* — *Cardo questionis.* — Denique suppono nullum hominem peccatorem posse sibi de condigno mereri primam gratiam sanctificantem, prius tempore quam justificetur, seu per actus qui tempore præcedunt infusionem gratiæ habitualis. Hoc etiam est certum ex doctrina Concilii Tridentini, sess. 6, c. 8 et 16, quam statim amplius ponderabimus. Item ex alio principio supra posito, quod gratia sanctificans est necessaria ad meritum de condigno, quia inimicus Dei non potest Deum ipsum ex condigno et justitia sibi facere debitorem. Quæ ratio non solum convincit opera peccatoris, tempore præcedentia justificationem, non esse meritoria de condigno gratiæ sanctificantis, verum etiam neque alicujus alterius doni, auxilii aut præmii, quia in quacumque eadem ratio militat. Tota ergo questio revocatur ad instans ipsum, in quo gratia prima sanctificans infunditur, et ad illum actum, qui est ultima dispositio ad gratiam et remissionem peccati, etiam extra Sacramentum. Quod addo, quia de attritione, quæ cum Sacramento potest impetrare gratiam, etiam procedit quod supponimus de aliis actibus, qui justificationem tempore præcedunt, quia illa attritio est æque imperfecta, et de se præcedit etiam tempore justificationem, et valde accidentarium illi est quod ratione sacramenti interdum illi jungatur in eodem tempore vel momento, quod ex dicendis evidentius fiet.

5. *Dubitatio proprie hic discutienda.* — *Primum argumentum affirmantis partis ex loco Pauli.* — Solum ergo superest dubitandum de ipsa contritione perfecta, seu de dilectione Dei super omnia, an per illam homo pecca-

tor, cum ad Deum convertitur, infusionem gratiæ habitualis, et consequenter remissionem peccati mortalis de condigno mereatur? Pars enim affirmans videtur posse probabiliter suaderi. Primo, quia si aliquid obstaret huic merito, maxime esset quod in Scriptura dicitur homo justificari gratis, cui gratiæ maxime repugnat condignum meritum; sed hoc non obstat; ergo non est cur negetur. Probatur minor, quia cum Paulus dixit hominem justificari gratis, non loquitur de solo termino (ut sic dicam) justificationis, id est, de infusione gratiæ formaliter excludentis peccatum, sed comprehendit totam mutationem justificationis, ab ejus exordio, quod per vocationem fit, usque ad peccati remissionem; sed hæc justificatio sic accepta semper fit gratis, etiamsi homo per contritionem mereatur de condigno infusionem gratiæ habitualis; ergo, ex vi illius principii, quod homo gratis justificatur, non sequitur non mereri de condigno gratiam sanctificantem. Consequentia optima est, et minor etiam videtur clara, quia, ut justificatio illo modo sumpta fiat gratis, satis est quod initium ejus sit ex sola gratia, et nullo modo ex operibus, juxta doctrinam frequenter ab Augustino repetitam contra Semipelagianos. Ex eodem principio probatur major propositio, quia secundum Augustinum ideo dicitur homo justificari gratis, quia non ex operibus, sed ex fide justificatur, quæ fides Dei donum est, quod sine ullo merito datur, et ideo, licet fides inchoet meritum justificationis, nihilominus justificatio gratis fit, et quicquid postea datur, licet ex aliquo merito detur, semper est gratia pro gratia, et ita tota justificatio gratis datur; ergo.

6. *Secundum argumentum ex locis Jacobi et Joannis.* — Secundo, argumentari possumus ex verbis Jacob. 2 dicentis, *Abraham fuisse justificatum ex operibus*; nam idem est justificari ex operibus, quod justificari ex merito proprio et de condigno. Item ex verbis 1 Joann. 1: *Si confiteamur peccata nostra, fidelis et justus est, ut remittat nobis peccata nostra*; ergo ipsa peccatorum remissio, et consequenter etiam prima gratia ex justitia conceditur, ac subinde meritum de condigno præcedit. Potestque hoc testimonium confirmari ex Augustino, in l. Expositionis inchoatæ epist. ad Rom., circa illa verba, *Gratia et pax*, ubi inter alia dicit quod, licet peccata remittantur ex misericordia, non tamen id fieri sine justitia: *Quia justum est (ait) apud Deum, ut ii quos peccatorum suorum pœnitet,*

*miseri corditer separentur ab his qui converti nolunt*; et infra: *Justum est apud Deum, ut ignoscantur talibus quæcumque antea commiserunt*; et iterum: *Justa est ergo ratio Dei, et grata justitia, cum in eo quoque etiam pœnitentis meritum gratia præcedit.* Et simili modo, epist. 47, dicit gratiam non secundum merita nostra dari, *non quia nullum sit meritum, sed quia misericordia et gratia convertit hominem*, de qua psalmus dicit: *Deus meus, misericordia ejus prævenit me ut justificetur impius, hoc est, ex impio fiat justus, et incipiat habere meritum bonum*, etc. In quibus verbis sentit, in illa justificatione peccatoris, per quam ex impio fit justus, justitiam intercedere, quia meritum pœnitentiæ præcedit, et nihilominus eandem justificationem gratiam esse, quia illud pœnitentiæ meritum in præcedenti gratia fundatum est. Ambrosius etiam, l. 1 de Pœnitent., c. 17, docet pœnitentiæ retribui gratiam et remissionem peccati ex promissione divina, *ut ex hujus vitæ retributione discat homo sperare futuram.* Et in alio libro de Pœnitentia Ambrosio attributo dicitur verendum non esse, *ne apud judicem merces contriti cordis pereat.* Ubi peccati remissio merces contritionis appellatur. Imo etiam Augustinus, lib. de Prædestinat. Sanctor., c. 2, augmentum fidei vocat mercedem fidei inchoatæ; ad augmentum autem fidei de quo ibi tractat, pertinet maxime vivificatio fidei media pœnitentia; at merces proprie dicta merito de condigno respondet.

7. *Tertium argumentum ex ratione.* — *Erasio.* — *Contra illam instatur.* — Tertio, possumus ratione argumentari, quia contritio ordine naturæ præcedit infusionem gratiæ habitualis, ut supra ostensum est; ergo ex hac parte sufficit ad meritum ejus. Nam, ut infra ostendemus, meritum et præmium possunt esse simul tempore, dummodo naturæ ordine meritum antecedit. Aliunde autem actus contritionis est maxime proportionatus gratiæ, quæ ratione illius infunditur; ergo ex hac parte habet sufficientem æqualitatem cum illo præmio; intervenit etiam in illo opere promissio divina, qua vere pœnitentibus gratia et remissio peccati promittitur; ergo nihil ibi deest ad meritum de condigno. Dices, actus contritionis, ut antecedit infusionem habitus gratiæ ordine naturæ, procedit ab homine non grato, seu peccatore, et ita ex hac parte deest illi conditio necessaria ad meritum de condigno ex parte personæ merentis, videlicet, ut sancta

sit. Sed contra, quia licet ille actus non procedat ab homine, ut jam sanctificato, nihilominus non procedit ab illo ut peccatore, sed ut efficaciter a Deo móto et adjuto, ut contra suum peccatum moveatur, et ideo neque in illa duratione reali, id est, in instanti, in quo talem actum elicit, jam est in peccato, cum illudmet instans sit primum non esse ipsius peccati; ergo absolute loquendo non elicitur ille actus ab homine peccatore, et alioqui, sicut ille homo prius natura elicit actum contritionis, quam ei habitus gratiæ infundatur, ita etiam prius natura recipit in se suum actum, et eo informatur quam habitum recipiat, vel illo informetur; ergo prius etiam natura est sanctificatus per ipsummet actum quam infusus habitum recipiat; ergo in illo priori est sufficienter justus et sanctus, ut per eundem actum, quo sanctificatur, habitum de condigno mereatur.

8. *Confirmatur ex Richardo, hypotheticè loquendo.* — Vazquez *hypothésim Richardi de facto admittit.* — Unde Richardus in 4, d. 47, art. 1, quæst. 7, ex hac hypothési, quod contritio formata præcedat ordinem naturæ remissionem peccati, dicit recte sequi hominem per contritionem mereri remissionem peccati mortalis de condigno, quia nulla conditio ad tale meritum necessaria ibi deest, data illa hypothési. At vero, juxta probabilem opinionem, contritio semper est formata, quia per seipsam et essentialiter formata est, imo et formare potest, id est, formaliter constituere sanctam personam cui inest. Et antecedit ordinem naturæ infusionem habitus gratiæ. Ergo erit meritoria de condigno primæ gratiæ, saltem secundum probabilem opinionem. Nam ex principiis probabilibus non potest sequi conclusio non probabilis. Atque ita P. Vazquez 1. 2, disp. 29, c. 1, fatetur veram esse conditionalem propositionem Richardi; opinatur enim actum contritionis perfectum, vel dilectionem Dei super omnia, esse actum per se formatum, et formam sanctificantem, ideoque optime sequi putat quod, si talis actus non procedit effective ab habitibus gratiæ, esse meritorium de condigno primæ gratiæ habitualis. Quia, licet non intelligatur procedere ab homine, ut prius jam constituto amico et justo, satis est quod per se, et (ut ita dicam) in suo termino intrinseco constituit hominem justum et sanctum, ac subinde Dei filium, obedientem, et amatorem

Dei; ergo constituit illum dignum vita æterna, non solum ut hæreditate filii, sed etiam ut corona justitiæ; ergo in illo priori jam mereretur de condigno vitam æternam; ergo etiam primam gratiam. Probatur hæc ultima consequentia, quia gratia habitualis est per se necessaria ad æternam beatitudinem, et ideo quando non supponitur ad meritum vitæ æternæ, necessario cadit sub idem meritum, sub quod cadit vita æterna. Unde consequenter sentit dictus auctor non esse contra sanam doctrinam, nec improbabilem, opinionem asserentem mereri hominem vere poenitentem primam gratiam et remissionem peccati mortalis de condigno, quia neque hoc favet Pelagio, nec repugnat Conciliis, quæ contra illum docuerunt; et alioqui sequitur ex principiis probabilibus. Nihilominus tamen ipse non audet illam sententiam simpliciter probare, solumque fundatur in illo contrario principio, quod ultima dispositio ad gratiam effective a gratia habituali procedit.

9. *Quarta assertio negativa.* — An S. Thomas pro assertione stet, obscurum est. — Dicendum nihilominus est hominem, resurgentem a peccato, non mereri primam gratiam de condigno, etiam per amorem Dei super omnia, vel contritionem, qua se ultimo seu proxime ad primam gratiam habituales disponit. Hæc est sententia communis Theologorum. Illam docet D. Thomas, dicta q. 114, art. 5. In illo tamen articulo duo sunt obscura: unum est, de quo merito; aliud, de qua prima gratia loquatur. De merito quidem, quia indifferentem loquitur. Unde videtur omne meritum tam de congruo quam de condigno excludere. Sed de merito de congruo infra cap. 37 dicam; nunc satis est a fortiori loqui D. Thomam de merito de condigno, si etiam alterum excludit. Verumtamen in solutione ad 2 expresse loquitur de merito de condigno, et illud excludit. Quoad alteram vero partem videtur magis loqui de gratia prima auxiliante quam de habituali, ut patet, tum ex discursu corporis articuli, quem reducit ad hoc principium, quod *gratia est principium cujuslibet boni operis in nobis*, ut etiam habet in solutione ad 3, quod principium est verum de gratia auxiliante, non de habituali, ut in libr. 1 visum est. Unde sic infert in fine articuli D. Thomas: *Si vero aliud donum gratiæ aliquis mereatur virtute gratiæ præcedentis, jam non erit prima; unde manifestum est quod non potest homo sibi me-*

*veri primam gratiam.* Quæ illatio bona est de tota gratia absolute, non vero de prima habituali, si quis dicat hominem illam mereri in virtute prioris gratiæ auxiliantis. Tum præterea, quia in solutione ad 1 ita subinfert: *Si supponatur, sicut fidei veritas habet, quod initium fidei sit in nobis a Deo, jam ipse actus fidei consequitur primam gratiam, et ita non potest esse meritorius primæ gratiæ.* At vero argumentatio hæc, de habituali gratia intellecta, valde frivola esset, quia, licet initium fidei sit ex gratia prima, non est ex prima habituali, sed ex prima auxiliante.

10. *Ita tamen Sanctum Thomistæ accipiunt.* — Nihilominus Thomistæ communitè articulum illum de gratia sanctificante et habituali intelligunt, ut Conradus, licet negare non potuerit, quin D. Thomas attingat etiam gratiam, quæ est gratiæ motio, ut dicit in expositione articuli, circa finem. Cajetanus vero, licet ibi nullum commentarium addat, videtur eundem sensum et sententiam ut manifestam supponere, ut patet ex art. 2 ejusdem quæstionis. Idem Capreolus, in 4, d. 14, quæst. 2, art. 3, ad argumenta Henrici; Soto, lib. de Natur. et grat., cap. 4; Medina, dicta quæst. 114, artic. 5; et ibi Cumel., disp. 1; Valentia, tom. 2, disp. 8, q. 7, puncto 4, § 2; Vega, libr. 8 in Trident., capit. 10 et 11, et quæstion. sexta de Justificat.; Bellarminus, libr. 1 de Justificat., capit. 21, et libr. 5, cap. 21, et libr. 1 de Pœnit., cap. 5 et 6, ubi in § *Nono*, etc., ita etiam exponit D. Thomam, et libr. 2 de Pœnitent., cap. 12. Quare dicendum censeo de utraque gratia prima locutum esse D. Thomam in dicto articulo, nam omnia quæ in ejus discursu ponderavimus, attente spectata, convincunt principaliter esse locutum D. Thomam de prima gratia auxiliante, et consequenter etiam de merito, quod a tali gratia non procedit. Nihilominus tamen in principali ratione articuli, et in solutione ad 2, ad gratiam etiam habituales sermonem extendit, et quoad illam tantum de merito de condigno loquitur, ut aperte declarat, et patebit ex dicendis. Atque hic sensus manifestus etiam est ex eodem D. Thoma, libr. 3 contra Gent., c. 149 et 150, nam in priori ex professo probat non posse auxilium gratiæ cadere sub meritum, et in posteriori sub hoc auxilio etiam habituales gratiam comprehendit vult. Nos autem, ut dixi, de prima gratia auxiliante non agimus, sed solum de habituali, et ita etiam in assertione conveniunt omnes

Theologi in 1, d. 17, et in 2, d. 27, ubi Bonaventura, art. 2, quæst. 1; et Richardus, artic. 2, quæst. 2; et Gabriel, quæst. unic., concl. 2; Ægid., quæst. 2, art. 1; Argent., art. 3; Scotus, in 4, d. 14, quæst. 2, § *De secundo*.

11. *Quo gradu certa sit assertio.* — Qui putant esse de fide. — Prius vero quam assertionem probemus, interrogare libet in quo gradu certitudinis tenenda sit, ut simul utrumque juxta nostram sententiam ostendamus. Aliqui ex dictis modernis absolute dicunt esse de fide, maxime Valentia, Medina et Cumel. Neque ab hac sententia discrepat multum Vega, dicto cap. 40, dum ait, cum Patres aliquod meritum tribuunt dispositionibus, respectu gratiæ primæ, non loqui de merito de condigno, quia multum a Pelagio dissentiebant. Itaque censeo contrariam sententiam Pelagianam esse, et certe Soto excludens etiam meritum de condigno idem indicat. Et hi auctores fundantur in testimonio Pauli, et in definitionibus Conciliorum contra Pelagium, quæ mox ponderabimus. Nonnulli vero noviores Theologi sentiunt non pertinere assertionem hanc ad doctrinam fidei, vel contrariam ad errores Pelagii. Quia Pelagius tribuebat meritum gratiæ operibus solius liberi arbitrii sine auxilio gratiæ factis, et in hoc solum damnatus est, ideoque si asseratur meritum gratiæ habitualis fundatum in priori gratia, nullum errorem Pelagii approbari; nec de modo talis meriti, an sit de congruo, vel de condigno, aliquid definitum esse, neque etiam Paulum aliquid contra tale meritum docuisse. Nam cum ait hominem non justificari ex operibus, loquitur de operibus puris, id est, condistinctis a fide, et a spiritu gratiæ, ac subinde factis ex solis liberi arbitrii viribus. Cum vero dicit hominem gratis justificari, ideo dicit, quia primum gratiæ auxilium gratis datur, ut in argumentis objectum est. Unde concludunt assertionem solum esse probabilioris conclusionem theologice ex principiis opinabilibus dependentem, ut etiam argumentando tactum est.

12. *Judicium auctoris.* — Ego vero non audeo quidem dicere assertionem esse de fide, quia non invenio illam tam expresse definitam, aut traditam in Scriptura, vel Conciliis, quin per apparentes expositiones possint testimonia eludi. Nihilominus censeo assertionem esse omnino certam et indubitam, et reipsa in Scriptura contentam, et a Conciliis ac Patribus intentam. Et moveor